



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.7. Epistolæ S. Nicetæ Trevirensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI.
A. C. 563. In illa se arguentibus, quod nimiam severitatem adhiberet, respondet, se illas solummodo consuetudines, quas in suo Monasterio stabilitas invenisset, conservare, & exiguum Monachorum ferventium numerum meliorem esse, quam magnum tepidorum.

§. VII.

Epistolæ S. Niceti Trevirensis.

Greg. vit.
PP. 6. 17. n. 3. Sigebertus Rex in Gallia, quamprimum Regni habenas capessivisset, revocavit S. Nicetum Episcopum Trevirensis, a Parente suo Clotario, quod ipsum sæpius ob injuste commissa excommunicasset, in exilium missum. At Sigebertus Regni possessionem adire noluit nisi favente sibi tam Magno Antistite; ita enim Regis verba in Epistola ad Episcopum data sonant. Haud multo post tempore S. Nicetus Epistolam dedit ad Clodosindam Regum Francorum Sororem & Alboini Regis Longobardorum Conjugem, cum ipsa ad Reges Fratres Legatos misisset. Hortatur Reginam, ut ad convertendum Regem Maritum Hæresi Arianæ addictum operam daret. In ea Epistola multa loca ex Scriptura, & alia argumenta ex ratione petita, contra hanc Hæresin adducit, & obtestatur Reginam, ut sæpius hanc Epistolam perlegat, & sensum Regi explicet. Ad ultimum argu-
mento

to. 5. Conc.
p. 833.

mento utitur ingenio Barbarorum magis Sæculum VI.
A. C. 563.
accommodato, illudque inde expromit,
quod in Ecclesiis Catholicorum manife-
sta Miracula, non autem in Ecclesiis A-
rianorum ederentur. Exempla affert
Ecclesiæ S. Martini, S. Germani Antissio-
dorensis, S. Hilarii, S. Lupi Trecensis,
& addit: *Quid vero dicam de SS. Remi-
gio & Medardo, quos, ut credo, ipsa vi-
disti? Aviam tuam Clotildem Beatæ Me-
morie narrantem audivisti, quomodo in
Franciam venerit, & ad Religionem con-
verterit Regem Clodoveum. Cum vir
esset prudentissimus, noluit Mulieri ce-
dere, donec de veritate constaret. Post-
quam autem Argumenta, quæ modo attu-
li, percepit, ante fores S. Martini prostra-
tus abjecta omni mora Baptismum susce-
pit. Quam feliciter baptizatus in Re-
ges Alaricum & Gundebaldum Hæreti-
cos arma moverit, neutiquam ignoras.*

Tempore non multo post hæc elapso to. 5. Conc.
p. 832.
S. Nicetus ad Imperatorem Justinianum
opera usus Presbyteri nomine Lactantii,
qui in Galliam ad Loca Sacra visitanda
venerat, Epistolam dedit. In ea Epistola
S. Episcopus Imperatori acriter instat, &
tota illa Auctoritate, quam ipsi clarissi-
ma virtus, & annorum ferme quadra-
ginta Episcopatus apud omnes concilia-
verat, permovere conatur, ut renuncia-
ret errori, in quem sub finem Regni sui

Sæculum VI. incidere, & propter quem Sanctos Episcopos persecutus fuerat. Sine ambagibus id quoque Justiniano significat, totam Italiam, Africam, Hispaniam & Galliam ipsius Nomini anathema dicere.

Post hæc S. Nicetus haud diu superstes fuit atque in Sede Trevirensi Successorem habuit S. Magnericum Discipulum suum. Is Monasterium in honorem S. Martini Turonensis in eodem loco, ubi Sanctus iste Ecclesiam eduxerat, fundavit, quod hodieque existit. S. Magnericus inter suos Clericos educavit S. Gangericum, postea Episcopum Cameracensem.

§. VIII.

Justiniani Error.

Sup.
XXXII.
S. 31.

Justiniani Error, quem S. Nicetus datis litteris reprehendebat, fuit Hæresis Incorruptibilium, qui ex Eutychianorum Secta nati erant. Hanc pestem Justiniano quidam Origenistæ, & præprimis Theodorus Cappadox suggestisse creduntur. Huc tandem deduxit Imperatorem animi inquires, & insatiabilis Doctrinam fidei perscrutandi aviditas. Igitur edito Decreto dicebat; Jesu Christi Corpus esse incorruptibile, id est, ex eo tempore, quo in Sinu S. Matris suæ formatus fuisset, nulli mutationi aut vicissitudini nequidem ulli naturali & innocuæ fragilitati

Evagr. IV.

c. 39.
vit. S. Eutych. ap.

Bol. 6. Apr.
c. 4. p. 557.